

'De Judiciis'. Animadvertimus vero depositionem non esse intelligendam, nisi crimen commissum fuerit enorme, et causa gravis scandali. Ex. gr. homicidium voluntarium, adulterium, stuprum violentum, furtum sacrilegum, vel fornicatio continuata. *Arg. cap. 6. De cohab. Cler. et Mulier. et sess. 22. Trident. in Decreto de observand. in Sacr. Miss.*

6. 4°. Quarta pœna et *degradatio*, quæ est pœna ecclesiastica, qua Clericus ob criminis atrocitatem, vel incorrigibilitatem, per sententiam judicis authentice et solemnitate adhibita privatur ordine, idest exercitio (non autem caractere), beneficio, officio et statu ipso clericali seu omnibus privilegiis, ita ut Clericus reddatur ad statum laicalem, et ad instar laici puniatur a laica potestate secundum suas leges. *Degradatio* est vel *verbalis*, vel *realis*, *verbalis*, qua sententia degradationis edicitur, *realis*, qua perficitur ipsa degradatio per ritum statutum. *Cap. Degradatio h. t. in VI. Juxta autem cap. 'Novimus' 27. 'De verb. signif.'* Ecclesia ad precari debet auctoritatem civilem præsentem in reali degradatione Clerici, ut eum mitiori ratione pertractet. Hæc degradatio realis non nisi ab Episcopo fieri debet. *Conc. Trid. sess. 23. c. 4.* Fit autem ob crimina in jure expressa. Præcipue sunt crimina hæreseos, falsificationis Litterarum Apostolicarum, insidiarum contra proprii Episcopi vitam.

7. 5°. Quinta pœna est *infamia*. Infamia alia est *facti*, alia est *juris*. *Facti* est, quæ oritur in populo ex delicto scienter admissio, vel alio defectu manifesto, ita ut nullatenus quis possit sese excusare, quin apud honestas personas contrahat notam et patiatu boni nominis imminutionem. Infamia juris est quæ auctoritate legis ob certa crimina infertur. Hæc autem duplici modo infertur et decernitur a lege a) ut ipso jure et ipso facto incurratur, hæc porro infamia incurritur solummodo quando crimen est notorium, b) ut pœna infamiæ incurratur solum per sententiam judicis.

8. Inter infamiam juris et infamiam facti duplex est præcipua differentia. 1^a. ut infamia juris proprie sit pœna criminis, non autem infamia facti. 2^a. ut infamia facti redimi possit per bonam opinionem, quæ oritur ex publica et notabili emendatione. Infamia autem juris per se redimi non potest, scilicet perpetua est. *Can. 7. cap. 3. q. 3.* Tolli vero potest auctoritate principis, aut ex contraria sententia judicis, quæ vel innocentiam personæ pronunciat, vel

saltem in relatione ad infamiam irrogatam, primam sententiam modificat et corrigit.

9. 6°. Sexta pœna est *irregularitas*, quæ contrahitur ex delicto, et est 'impedimentum juris ecclesiastici ad susceptionem ordinum, et ad executionem actuum ordinis jam suscepti.' Contrahitur vero ex reiteratione absoluta baptismi, ex violatione censuræ ecclesiasticæ, ex indebita susceptione ordinum, ex crimine hæresis, et aliis criminibus, ex quibus oritur infamia juris, ex homicidio, vel mutilatione voluntaria. Animadverti autem debet irregularitatem ex crimine pœnam esse solummodo improprie et indirecte.

TITULUS XXXVIII.

De pœnitentiis et remissionibus.

1. Pœnitentia definiri potest 'Alicujus laboriosi operis frequentatio ab Ecclesia imposita illis, qui post delictum vel culpam admissam, volunt iterum assequi jura quæ amiserant'.

2. Pœnitentia alia est *sacramentalis* et privata, quæ in foro interno imponitur, alia est publica, quæ in foro externo imponitur præsertim ad reparandum scandalum ortum ex crimine.

3. Licet antiqua pœnitentia canonica jamdudum cessaverit, tamen dici nequit omnem prorsus pœnitentiam publicam cessavisse. *Trid. enim in sess. 24. cap. 8. De Refor.* mandat ut peccatoribus publicis et cum scandalo, publica etiam et pro qualitate culpæ pœnitentia infligatur. Episcopus autem videre debet utrum expediat pœnas publicas in specie irrogare.

4. Relate ad pœnitentiam sacramentalem duo animadvertimus. 1°. In *cap. 12. h. t.* præcipi annualem confessionem et communionem Sanctissimæ Eucharistiæ saltem tempore paschali. Qui autem temere et sine rationabili causa, ac proprii Parochi consilio seu licentia alterutrum omittunt, vivi ab ingressu Ecclesiæ arcen- tur, defuncti privantur ecclesiastica sepultura.

5. 2°. Commemoratione digna est *Constit. cap. 13. h. t.* In hac Constitutione animadvertens Innocentius corporales infirmitates non raro ex peccato provenire, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ jubet medicos admonere debere infirmos ut Sacramentum Pœnitentiæ suscipiant.

6. Accessit Bulla S. Pii V. *'Super gregem'* 8. Mart. 1568. in qua S. Pontifex renovat constitutionem Innoc. III. relata in cap. 13. cit., et statuit ut medici vocati ad infirmos jacentes in lecto eosdem admoneant, ut Confessario peccata sua confiteantur, neque tertio die ulterius visitent, nisi longius tempus confessarius concesserit; aut nisi constiterit de peracta confessione ex fide Confessarii in scriptis relicta. Contra medicos transgressores vero decernitur pœna statuta in cap. 13. h. t. 2^o. Infamia. 3^o. Privatio gradus medicæ facultatis. Hanc Constit. ajunt DD. etiam juxta inductam consuetudinem, esse intelligendam de morbo periculoso. Ita Hengel. h. t. n. 10.

7. Verum accessit deinde Decretum Benedicti XIII. in Conc. Romano sub tit. 32. c. 1. et subsequens declaratio secretarii ejusdem Concilii impressa in Append. Concilii sub n. 28. Porro in Decreto Concilii 1^o. renovatur dispositio Piana. 2^o. excludi videtur necessitas periculi ut Medicus vel Chirurgus teneatur admonere infirmum de confessione sacramentali peragenda. Etenim pro quovis morbo præcipitur servanda dispositio Piana, exceptis solum morbis artritidis. 3^o. Medicis vel Chirurgis transgressoribus imponitur pœna excommunicationis, latæ sententiæ. 4^o. Confessariis sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ ab excipiendis confessionibus præcipitur ut post exceptam ab infirmis confessionem fidem de eadem faciant scripto, et documentum domi relinquunt. Porro in pagellis pro confessionibus audiendis solet ab Ordinariis hæc pœna suspensionis infligi. Duo in hac re animadvertimus 1^o. interdictum ab ingressu Ecclesiæ medicis comminatum cap. 13. h. t. esse ferendæ sententiæ. Non enim apposita est Clausula *'ipso facto'*. 2^o. Juxta Benedictum XIV. *Inst. Ecc. 22. n. 17.* decreta Pontificia superius descripta de infirmo relinquendo non obligant quando morbus est ita gravis ut sine ope medici periculum adsit.

TITULUS XXXIX.

De sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti.

1. Titulus præsens agit de censuris. Censura, ita dicta ad exemplum pœnarum quas ad emendationem civium censores populi Romani infligere solebant, definitur *'Pœna spiritualis et medicinalis, per quam homini baptizato, delinquenti, et contumaci per*

potestatem ecclesiasticam aufertur usus bonorum spiritualium'. Aliquo sub respectu censura est pœna quia ob delictum vel culpam inflictam secumfert aliquam malitiam propter privationem jurium seu bonorum spiritualium. Non infligitur autem censura ad publicam vindictam criminis, sed potius ad correctionem rei; hinc dicitur pœna medicinalis.

2. Per auctoritatem ecclesiasticam fertur censura, idest nedum infligitur a Romano Pontifice, Episcopis et Abbatibus nullius, Cap. 1. et 16. *'De Offic. Ord. Concil. Trid. sess. 6. cap. 3. De Ref.* sed etiam ab aliis judicibus. Uno verbo infligi potest censura ab illis, qui in foro externo et contentioso habent jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam. Tales sunt Legati Sedis Apostolicæ. Cap. *'Noviter'* *'De Offic. Legati'* et cap. 2. eod. in VI^o. Superiores regulares quoad suos subditos regulares. Cap. 10. *'De Majorit. et Obed.'* cap. ult. *'De statu monach. et cap. 33. De simonia'*. Vicarius Generalis Episcopi et Vicarius Capitularis. Cap. 7. h. t. in VI. Judices delegati. Tandem Concilia et Capitula regularium. Et ratio est quia potestas ferendi censuras pertinet ad potestatem jurisdictionis in foro externo. Censura enim est privatio usus bonorum publicæ societatis christianæ. Hinc Parochus ferre censuras non potest. Infligitur autem censura in solos subditos.

3. Ut autem excommunicatio major, plena suspensio et interdictum infligantur, requiritur delictum externum, quia Ecclesia de internis non judicat. Cap. 33. *'De simonia'*. Scilicet tale facinus requirit quod secumfert culpam gravem. *Arg. can. 39. caus. 11. q. 3. et Conc. Trid. sess. 25. De Ref. c. 3.* Hoc vero intelligi debet de excommunicatione majori, de suspensione ab officio et a beneficio vel ab alterutro et de interdicto. Nam excommunicatio minor incurritur seu incurrebatur etiam ex culpa levi, quemadmodum etiam potest infligi suspensio ab aliquo actu officii. Ita DD. Necesse autem non est ut sit publicum et notorium. Hinc datur etiam censura ex informata conscientia.

4. Requiritur etiam contumacia, quæ consistit in contemptu auctoritatis ecclesiasticæ, quæque verificatur sive quando quis Superiori legitime imperanti resistit, sive quando quis sciat aliquid prohiberi ab Ecclesia sub censuris, et nihilominus non dubitat illud agere.

5. Quare a censura incurrenda excusat 1^o. ignoratio tum juris tum facti. Hinc licet quis sciat actum prohibitum ab Ecclesia,